Ewing A 1204 15
(32)

RUSTICA ACADEMIÆ OXONIENSIS

Nuper Reformatæ

DESCRIPTIO,

In Visitatione *Fanatica* Octobris sexto, *&c.* Anno Domini 1648. cum *Comitiis* ibidem Anno sequente: Et aliis notatu non Indignis.

LONDINI, Impensis G. Redmayne.

1700?

In Anton. à Wood's *Faſti Oxonienſ.* p. 723. Part 2. *A. D.* 1643. 19 *Carol. I.*

October the 17*th* John Allibond *of* Magdalene *College was created Doctor of Divinity. This Worthy Doctor, who was a* Buckinghamſhire *Man born, and lately the Chief Maſter of the Free-ſchool joining to* Magdalene *College, was a moſt Excellent Latin Poet and Philologiſt, and hath Publiſhed* --- Ruſtica Academiæ Oxonienſis nuper Reformatæ Deſcriptio; unà cum Comitiis ibidem 1648. habitis, *&c.*

Ruſtica Deſcriptio Viſitationis Fanaticæ Oxon. 1648.

1 RUmore nuper eſt delatum,
Dum agebamus Ruri,
Oxonium iri *reformatum*
Ab iis qui dicti *puri.*

2 Decrevi itaque confeſtim,
(Obſtaculis ſublatis)
Me Oculatum dare teſtem
Hujuſce novitatis.

3 Ingreſſus *Urbem* juxta morem,
Scrutandi deſiderio:
Nil præter maciem, & ſqualorem
Fœdiſſimum comperio.

4 A *Decio* in ſpecum jacti,
Qui tantum dormierunt,
Poſt Seculum expergefacti,
Tot mira non viderunt.

5 Erectas illi crebras *cruces*,
Et *Templa* conſpexere,
Quæ priſci pietatis duces
Tunc primum conſtruxere.

6 Nos autem ſanctiora nuper
Incidimus in ſecula,
Qui tollunt *iſta*, tanquam *Superſtitionis* Symbola.

7 Ad *Scholas* primum me trahebat
Comitiorum Norma,
Queis olim quiſque peragebat
Solenniter *pro forma.*

8 Expecto *Regios profeſſores,*
Comparuere nulli:
Nec illic adſunt *Inceptores,*
Nec *Togæ,* nec *Cuculli.*

9 Calcavi *Atrium Quadratum,*
Quo Juvenum examen
Confluxit olim; Video *pratum*
Quod denſum tegit gramen.

10 Adibam lubens *Scholam Muſices*,
Quam *Fœminæ* & Joci
Ornaſſent pridem, ſed *Tibicines*
Jam nuſquam erant loci.

11 Conſcendo Orbis illud decus,
Bodleio fundatore:
Sed intus erat nullum pecus,
Excepto *Janitore*.

12 Neglectos vidi Libros multos,
Quod minime mirandum:
Nam inter *Bardos* tot & *Stultos*
There's few cou'd underſtand 'em.

13 Do-

13 Dominico ſequente die,
Ad Sacra celebranda,
Ad *ædes* propero *MARIÆ*:
Nam DIVÆ vox nefanda.

14 Tenebar mox intrandi metu,
Sollicitus ut ante:
Sed fruſtra prorſus, nullo Cœtu
Introitum negante.

15 Ingreſſus ſedes *ſenioribus*
Togatis deſtinatas:
Videbam *Cocis*, & *Sartoribus*,
Et *Lixis*, Uſurpatas.

16 (a) Pro-

16 (*a*) *Procancellarius* recens prodit,
Cui ſatis literarum ;
Quod vero quiſque probus odit,
Eſt *Conſcientiæ parum.*

17 *Procuratores* ſine Clavibus,
Quærentibus oſtendas :
Bedellos novos ſine *Stavibus* ;
Res protinus ridendas.

18 Suggeſtum conſcendebat (*b*) *fungus*
Inſulſa quæque fundens :
So dull a Fool was ne'er among us,
Pulvinar ſic *contundens.*

(*a*) Dr. *Reynolds.* (*b*) Dr. *Stanton.*

19 Quic-

19 Quicquid in Buccam evenivit,
Minaci utens dextra,
Boatu magno effutivit,
Et nunquam fuit *EXTRA.*

20 Defeſſus hac *Dulmanitate,*
Decrevi Venerandos,
Non adhuc pulſos Civitate,
Amicos Viſitandos.

21 *Collegium* petii *Animarum,*
Nunc proprie ſic dictum:
Nam rerum hic corporearum
Vix quicquam eſt relictum.

22 Hic quæro *(c)* Virum ſuavitate
Omnimoda politum:
Reſponſum alibi ingrate,
CUSTODEM Cuſtoditum.

23 Ad *Corpus Chriſti* flecto greſſum,
Qua brevitate poſſum:
Jurares novis probris preſſum,
Et *furibus* conſoſſum.

24 *Eccleſiam Chriſti* ſuſque deque
Jactatam, mox & Verſam;
Et Sobolem heu! longe lateque
Percipimus diſperſam.

(a) Dr. *Sheldon* poſtea Cant. Archiepiſc.

25 Ro-

25 Rogavi ubi ſit *(d) Orator*,
Divinæ plane mentis:
Proh facinus! incarceratur
Facundæ decus gentis.

26 Hinc domum peto *Præcurſoris*,
Quem triſte paſſum fatum,
Recenti narrant *Vi* Tortoris
Secundo *Decollatum*.

27 Tam Sancto *(e) Præſide* cadente,
Diſcipuli recedunt:
Et *(f) Cacodæmone* regente,
Nec bibunt jam, nec edunt.

(d) Dr. *Hammond*. (e) Dr. *Bayly*. (f) Mr. *Channel*.

28 Heu!

28 Heu! pulchra domus, nuper læta
Dulciſſimis fluentis,
Nunc cœno penitus oppleta
Canalis putreſcentis.

29 Adire nolui *Trinitatem*,
Quam noſtis prope ſtare;
Hæreticam Societatem
Ne videar damnare:

30 Nam tanta deſolatione,
Quam quis nefandam dicet,
Occurrunt nuſquam tres Perſonæ,
Scruteris uſque licet.

31 Reverſo triſtis fertur Caſus,
Et miſerandum Omen
Collegii, cui *Rubens Naſus*
Præ foribus dat Nomen.

32 Dederunt *(g)* illi *Principalem*
Rectores hi ſeveri,
Diſtortis Oculis, & qualem
Natura vult caveri.

33 Mox *Ædes* ingredi conatus
Non unquam *Seneſcentes*,
Stupeſcens audio ejulatus
Horrenda *(h)* ſuſtinentis.

(g) Dr. *Greenwood Lippus.* *(h)* Mr. *Collier*, poſtea Bedellus, qui tortus fuerat per Chiliarch. Kelley.

34 Quod dulce nuper Domicilium
Ingenuis alendis;
Nunc merum eſt Ergaſtulum
Innocuis torquéndis.

35 Ad *flentem* me recipio tandem
Flens ipſe *Magdalenam*;
Et gemens video Eandem
Vacuitate plenam:

36 Quæ felix dudum ornabatur
Frequentibus Alumnis;
Quæ ſuaviter innitebatur
Doctiſſimis Columnis:

37 Nunc

37 Nunc lapſis Fulcris, queis vigebat,
Videres humi ſtratam:
Et prole denſa, qua gaudebat,
En miſere orbatam.

38 Hæ Sedes, comptiores Muſæ
Quas habuere ſibi;
Nunc denſis Tenebris offuſæ,
Et *(i) Zim*, & *Ozim* ibi.

39 Pro *(k) Præſide* (cui quenquam parem
Vix Ætas noſtra dedit)
En vobis *(l) ſtultum Capularem*,
Ad Clavum jam qui ſedet.

(i) *Iſai.* xiii. *v.* 21. (k) Dr. *Oliver.* (l) Dr. *Goodwin*, vulgò vocatus Dr. *Nine Caps.*

40 Quam.

Quam vereor! ne diro omine
Septem regrediantur
Dæmonia, divino numine
Quæ quondam pellebantur.

Quocunque breviter flectebam,
Aut dirigebam Visum:
Id totum induit, quod videbam,
Aut lacrimas, aut risum.

Ingemui, dum viros video
Doctissimos *ejectos*:
Et contra, alternatim rideo,
Stolidulos *suffectos*.

43 O probam reformandi Artem!
Quæ medicina datur?
Quæ curat, ut curamus *partem*,
Cum *Totum* exſcindatur;

44 *Quadratos* homines quæ jubet
Et doctos extirpandos;
Et *nebulones*, prout lubet,
Rotundos ſurrogandos.

45 *Collegia* petis? Leges duras
Habes; nil fas videre,
Præter ædes & ſtructuras:
Scholares abiere.

46 Culinas illic frigeſcentes,
Capellas ſine precibus,
In Cellis cernas ſitientes,
Et Aulas ſine *Meſſibus*.

47 In Templis quæris Conciones,
Aut quicquid eſt decorum?
Habebis hæſitationes
Extemporaneorum.

48 Interea quid *Oppidani*,
With all their quaint Devices,
Qui novas haſce (male ſani)
Exoptavere Vices?

49 Ere-

49 Erecta *cornua* gerebant,
Dum montes hi parturiunt:
Et nunc faſtidiunt, quæ volebant,
Et fortiter Eſuriunt.

50 Heu! ingens rerum Ornamentum,
Et ævi decus pridem:
Quo tandem pacto hoc perventum,
Ut *Idem* non ſit *Idem?*

51 Nam vix à quoquam, quod narratur
Obventum olim Somnio,
Compertum erit, ſi quæratur
Oxonium in *Oxonio.*

F I N I S.